DAVIDIS AMOR IN BETSHABEAM

FIGURA CHRISTI IN ECCLESIAM

Melodramma

DOCTORIS PAULI GINI

In Sacello Ven. Archiconfraternitatis

SANCTISSIMI

CRUCIFIXI

APUD S. MARCELLUM URBIS

CONCINENDUM

Modulis expressum

AD. IACOBO BONAVENTURA' FEI LUCENSI.

ROMÆ, Typis Jo: Francisci Buagni. MDCCX.

Superiorum Facultate,

ARGOMENTO.

SE al dire dell'Apostolo S. Paolo, tutti i successi del Vecchio Testamento erano figuratiui di quelli accaduti nel Nuouo (Omnia in figuris contingebant illis); *Anco il fatto pur troppo noto di Dauid con Betsabea, non deue essere senza la sua figura, e Mistero. Dà sagri Espositori nell'Historia di Dauid con Betsabea viene prefigurata la persona di Christo, ò in riguardo all'vnione* Hipostatica *della Diuina Persona all'Humana, nella maniera che Dauid vnì al suo Talamo Betsabea moglie di Vria; ò vero per il repudio fatto dà Christo dell'Ebraismo, ed il congiongimento seguito con il Gentilesmo. La Figura viene espressa dà S. Gre. à lib. 3. de Mor. cap. 21. con queste parole,* Dauid est Christus, Bethsabea est Lex vetus, quam Christus abstulit ab Vria, idest à Iudeis, sibiquè coniunxit; *doue anco S. Ambrogio à lib. 3. in S. Luc. vi riconosce il Mistero;* Misterium in figura, peccatum in Historia; Culpa per Hominem, Sacramentum per Verbum. *Si veda Cornel. à Lapid. al cap. 21. nel Tom. del 2. lib. de i Rè.*

L'Autore dunque, in quella parte che riguarda il racconto del'Amori di Dauid con Betsabea, intende di vniformarsi à i sentimenti de Sagri Interpreti, ed' à ciò che dice lo stesso S. Ambrogio in tal proposito; MISTERIVM IN FIGVRA, PECCATVM IN HISTORIA.

INTERLOCVTORES.

Dauid Rex.

Bethſabea.

Ancilla Bethſabeæ.

Aulicus Regis.

Nathan Propheta.

PRIMA

PRIMA PARS.

Beth. ET qualem duces vitam,
Quò tuo carens Paſtore indemnis ibis
Ouis relicta, & ſola?
Fæmina pulchra, & valdè
Inter Lupos rapaces
Longè a Coniuge ſuo erit ſecura!
Quis Cuſtos erit mei, quis mei honoris?
Infælix Bethſabea;
Sponſus procul à te iamdiù vagatur;
In Caſtris commoratur.
Dulcis amor, Sponſe ornate
Vbi amate Vria tu es?
Inter Hoſtes laqueo vinctum;
Inter Cædes gladio exſtinctum
Te videbo,
Te lugebo,
Cordis mei ò cara ſpes? Dulcis &c.
Redi veni dilecte
Audi voces clamantis,
Et gemitus Amantis.
Ad Balneum nunc pergo;
Fletus, & Balnei Vndà
Genas vna rigabo, et membra tergam;
Reuertere mi Sponſe,
Dum illuc ego peto,
Et Ouiculæ tue curam habeto.
Surge Famula mea,
Veni Socia fidelis
Dominæ tuæ dolentis.
Anc. Preſtò ſum, venio iam, & ſum parata
Ad omnia quæ tu iubes:

 Mi-

Misereor tui doloris ;
Quanta carere Sponso est pæna Vxoris .

Beth. Quid tibi enunciat Cor dè Viro meo ,
Quèm nosti ad Bella iuisse ?

Anc. Tristia nunc , læta modò .
Prædicit animus , quod eum sequetur
Mors , & infelix
Ille pugnabit .
Rursus alloquitur ; non morietur ,
Victor , & felix ,
Quod triumphabit. Prædicit &c.

Beth. Vtinam fausta dicas ,
Et Sponsus meus non cadat ,
Sed , eum seruante Deo , mortem euadat .

Dau. Quæ sors erit in prælio , aduersa , aut læta ?
Fractus cecidit hostis ,
Victor Triumphum tulit ?
Mi Deus , & Magne Deus
Fortis prò nobis pugna ,
Inimicos expugna ,
Manum præbe victricem
Dà Victoriam felicem .
Tu qui regis in brachio potenti
Mundi machinam ò Israel Deus
Tuæ fideli succurre iam Genti ,
Carus tibi sit honor et meus . Tu &c.

Aul. Gaude . nè timeas Dauid ;
Nostra erit Victoria , noster Triumphus ;
Inuictum habes Ducem ,
Strenua , florens est tibi , & Gens electa :
Non paueas Hostium Telum ,
Arridet fausta sors , propitium Cęlum .
Non timet hostium minas
Nec Militum ruinas ;

Cui pugnat Deus :
Timeat crudelem ſortem,
Certam expectet mortem
Criminis Reus. Non timet &c.

Nath. Domine, qui regis Terram,
Cęlum, Stellas, & Mare;
In cuius manu ſunt Sceptra, & Coronæ
Quanta Dauidi egiſti:
Ouium Paſtor, & Cuſtos
Ad Thronum dono tuo iamdiù elatus
Inter Cædes, & Arma,
In Iſdrael glorioſus
Viuit imperat, regnat.
Eià Deo Magne Vates
Redde grates, dic Victoriam;
Cęli Regem Pius adora
Cadat Sol, ſurgat Aurora,
Tange lyram, canè Gloriam. Eia &c.

Dau. Quam Mulierem cerno
In Balneo ſe lauantem,
Quæ ferit Dauid Cor, ignem accendit!
Quam pulchra, & ſpecioſa
Oculis illa meis;
Eius amore accenſus
Langueo ſuſpiro, & vror
Dulcis affectus
Dauidis pectus
Latens ingreditus mollis, & lenis
Ignis amoris
Niuei decoris
Serpit in viſcera, æſtuat in venis:
Dulcis &c.

Famuli mei vbi eſtis?
Currite, properate.

Aul. En adest seruus tuus;
Iube mi Rex quod petis,
Dau. Vade ad Fæminam illam,
Quam nunc in Balneo vides;
Dic illi iussa Regis,
Veniat ad me, festinet.
Aul. Promptus, velox adibo,
Velocius et redibo.
Regi nouit qui obedire
Parat sibi viam honoris;
Illi fidum deseruire
Lucrum facit Regij amoris. Regi &c.
Beth. Heù mihi quem video
Ab alto Regiæ Domus!
Dauid video ambulantem
Respicit me lauantem.
Eià famula veni
Membra vestibus tege;
Eamus, fugiamus.
Forte me videns Rex sine velo
Amoris Telo fuit vulneratus!
Non vanus timor,
Quià sæpius Amor
Ipsis ab oculis triumphat natus.
Forte &c.
Anc. Quid refert Bethsabea, si Rex te vidit,
Amore tui exarsit.
Videri à Rege, à Rege amari
Sunt nimium cari Fæminæ honores;
Non sic Argenti
Auidę Menti,
Gemmarum nitor, Auri et fulgores.
Videri à Rege &c.
Beth. Mulier fida, & pudica

Dili-

Diligi, atque videri
Nisi à Viro suo quærat:
Indigna res, Vxorem
Plurium optare amorem.

Nath. Quæ loquar de te ò Dauid
Dauid mitis, & pie,
Patiens, inuicte & fortis;
Iratum quis te audiuit,
Atque in Throno sedentem
Vidit superbientem?
Nulli durus, & grauis
Carus cunctis, suauis,
Inopem, & Potentem, Israel & cuncta
Aequâ Lancè gubernas.
Mandatum seruans Dei & mente, & corde.
Iuxtà Cor Dei cor tuum iam video,
Magna præuideo Dauid dè Te:
Excelso Numini Templum parabis;
Magnus in filijs, felix regnabis,
Deus dè Cęlis
Verax, fidelis
Dixit, iurauit, nec decipit me.
Iuxta cor &c,

Beth. O Famula dilecta
Viuet Vrias meus?
Inter Iacula, & Arma
Incolumis manebit,
Aut Vitâ iam perfunctus
Humi latens iacebit?
Curis obruta sum, & mad eo fletu.

Anc. Desine iam plorare
O' Domina te rogo;
Viuet Vrias, viuet,
In castris non peribit,

Cito

Citò veniet ad te, sospes redibit.

Anc. Siste Fletus,
Veniet Lætus
Gaudia feret tuo dolori;

Beth. Non cessabo
Ego plorabo;
Nnllus finis meo dolori.

Anc. Velut Nauis videns Portum
Solis lumen Hospes ortum
Exultabis,
Triumphabis,
Læta occurres tuo Victori.

Beth. Ero Nauis grauis pœnâ
Nullâ fruar die serenâ,
Semper flebo,
Non gaudebo
Donec meo iungar Amori.

Anc. Siste fletus

Beth. Non cessabo.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

SECVN-

SECVNDA PARS.

Beth. INfelix Bethſabea ſemper infelix.
Adhuc Sponſus in Caſtris;
Redeuntem non video
Quid illi, quid triſte erit ?
O Sponſe amabilis,
Deſiderabilis
Veni, reuertere mea vita, & lux.
Veni ad Vxorem,
Redi ad Amorem,
Nec teneant Milites, Arma, vel Dux.
O Sponſe &c.

Sed quis ad me nunc venit
Famula nouiſti eum ?
Anc. Aulicus ille eſt Regis
Beth. Heù mihi, quem dixiſti!
Anc. O Domina quid times!
Hominis eſt aſpectus
Non Belluę in te furentis;
Ille Famulus eſt Dauid Clementis.
Beth. Dauid me in Aquis vidit,
Fortè decorem meum ille dilexit:
Anc. Ergo boni, non mali
Nuncium ad te direxit.
Non tibi amarum,
Sit dulce, & carum,
In roſeo Vultu ſi Flores legis.
O' ter beatam
Et fortunatam,
Si blanda inueneris amorem Regis.
Non tibi amarum &c.

Beth. Vxoris pulcritudo

O quo-

O' quoties, quoties fuit
Coniugis turpitudo;
Noui Sæpè amor Viri, licet sit Regis
Dura fuit mors Mariti, & semper legis,

Aul. Aue Gloria Israelis
Inter fæminas pulchra, et Regi cara
Me Dauid ad te misit

Beth. Vndè mihi honor tantus
Vt Princeps ad Ancillam,
Dauid âd Bethsabeam Aulicum mittat!

Aul. Ille tali te agnouit dignam honore.

Beth. Ad quid missus venisti?

Aul. Illum vt adeas modò.

Beth. Adeat famula Regem! à me quid petit?

Aul. Te Dauid respexit,
Te pulchram dilexit
O mulier nunc scire, hoc tibi sit satis:
Quæ modò tu ignoras iam postea tu scies;
Cum venerit dies
Exultans videbis
Et plaudens ridebis
Felici tua sorte, amicis et Fatis. Te &c

Bet. Ergo Dauid iam tui ardet amore;
Quid ages Bethsabea?
Ouis sine Pastore?
Infirma est virtus mea.

Dau. Et Quandò Bethsabea
Venies ad Dauid Regem?
Sagittâ oculi tui
Vulnerasti Cor meum;
Sola medelam dare,
Vales plagam curare.
Veni, curre sinè morâ
O' decora

Veni

Veni ò cara, veni ad me.
Inter Fæminas electa
Eris una tu dilecta,
Lilium, Rosa,
Lux formosa,
Nulla mihi dulcior te. Veni &c.

Nath. Quid audio dè tè Dauid!
Mulierem vidisti
In Balneo se tergentem,
Audi modò Videntem:
Caueas, attende tibi
Nè maculâ sordescat
Iuxtà Cor Dei Cor tuum,
Et veluti Iumenti hodiè vilescat.
Dauid fuge, Dauid caue
Fuge Telum praui Amoris,
Scutum sume Dei Timoris
Esto vigil, semper paue. Dauid &c.

Beth. Audisti, Ancilla mea
Aulicum Regis Dauid,
Verba, quæ mecum fecit?

Anc. Audiui lenia dicta;
Et placido sermoni
Vtinam annuat Cęlum, & faueant Astra.

Beth. Quid faciam misera timeo, & ignoro,
Ibo manebo;
Regi parebo?
Tù fer auxilium
Præbe consilium
Famula mea, te nunc exoro. Quid &c.

Anc. O Domina quid petis?
Te consulat Ancilla
Vilis Famula, et rudis?
Tù prudens corde, ac mente

Con-

Consilio meo non eges;
Parendum tamen est, si iubent Reges,
Et obedire iuuat
Fausta si nobis, & vtilia mandant.
Consilium dare
Nescit Puella;
Sed repugnare pectore forti
Noli tam dura sic pulchrę sorti,
Quam tibi amica nunc signat Stella

Beth. Ridens quæ sors videtur
Soluitur crebrò in luctus
Velut ros, & pruina:
Quæ Rosa visa est, sæpe fuit Spina

Dau. Dauid Dauid vbi es?
Procul â Castris es, & tecum pugnas:
Quis intestini Belli euentus erit?
Ardeo, suspicor, timeo:
Hei mihi quot affectus
Intulit Cordi meo fæminæ aspectus.
En vellem fugare,
Et nollem amare
Quam videns amaui, quæ fecit me reum;
Sed facies amæna
Suaui catenà
Deuinctum iam trahit, quò nolo, cor meum

Aul. Surge mi Rex, iam venit
Fæmina, quam optasti.
Quid amplius quæris,
Felix nunc eris,
Habes ò Dauid, quam Cor amauit;
Gaude nunc donis,
Fruere Bonis,
Quæ sors benigna tibi parauit.

Dau. Saluè Mulierum decus

Te

Te Gloriam Regni mei ſupplex honoro.
Beth. Vilis Ancilla tuà
Hic adeſt Bethſabea; ò Rex te adoro.
Dau. Surge Mulier formoſa
Accipe Regia dona
Beth. Vnde mihi hæc pretioſa
Munera, quæ largiris?
Dau. Dignam te fecit Rex
Beth. Cęli reſiſtit Lex.
Dau. Non ſunt aduerſa legi
Illa, quæ placent Regi.
Dau. Hodie mecum hic manebis
Tamquam Sponſa, imò & Regina
Beth. Solum famula hic manebo
Sponſam negat lex Diuina.
Dau. Mulier quæ memoraſti!
Iterum, atque iterum Dauid tu incuſas.
O me ter infelicem!
Ego nè culpâ meâ
Sanctam Legem fœdabo
Cuius cecini Laudem hymnis, & lyra!
Quid inquis Bethſabea!
In Deum meum peccabo,
Qui dè manu Saul eruit, & vnxit
In Regem me Iſraelis?
Ingratus, infidelis,
Audax, contemptor ero,
Cuius Imago ſum, & formam gero?
Abſit, abſit à corde, à mente Dauid.
Amor diſcede
Mulier ſecede;
Ambo velociter fugite, abite
Vos coniuratis

Ne-

Necem & datis
Vnà certantes Dauidis vitæ. Amor &c.
Beth. En iam Dauid recedo;
Vtinam & Amor mei à te recedat.
Dau. Ah siste Mulier, siste:
Amor allicit me, nolentem trahit
Dulcis cæca Voluptas;
Oculis tuis iubes,
Quod Cęlum mihi negat.
Beth. O quanta Amoris vis, quæ Regum mentes
Pias æquè, ac potentes
Subdit Imperio suo, & seruiunt Illi.
Quid non agis, quid non vales
Amor vane, si mortales
Tecum vocas blandè ad pugnas.
Dum te audio dimicantem,
Mox te video triumphantem,
Cadunt Reges,
Corruunt Leges,
Omnia vincis, omnia expugnas. Quid &c.
Stratum cupis videre hostem crudelem
Time, fuge ò Mortalis;
In prælio Amoris Timor
Triumphi dabit Gloriam,
Et fugere Victoriam.

F I N I S.